# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE CRISIBUS.

*QUAM*
FAVENTE DEO OPT. MAX.
*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*
D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S. S. Th.
Doctoris, Ejusdemque Facultatis in Illustri Academiâ Lugd.
Bat. ut & Antiquitatis Ecclesiasticæ Profess. Primarii,
Ecclesiastæ disertissimi, Acad. Bibliothecarii,
NECNON
*Amplissimi Senatûs Academici unanimi Consensu,*
*& Almæ Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,
*Publico examini subjicit*

JACOBUS AUGUSTUS BLONDEL, Parisinus.

*Ad diem 17 Iulii, horis locoque consuetis.*



*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDC XCII.



# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

## DE

# CRISIBUS.

## THESIS I.



Quid per κρίσιν intelligendum sit, Autores inter se non conveniunt, Alii enim simplicem naturæ conatum, quo res sibi noxias expellere nititur; Alii repentinam morbi mutationem, quæ de vita & morte ægrotantium decidit: Alii denique *Naturales & subitas tantum evacuationes morbum feliciter solventes* hoc nomine designant. Hanc autem ultimam significationem amplectimur, quippe quæ sit pluribus familiaris, neque symptomaticas evacuationes cum criticis confundere videatur.

## I I.

Crisis eo sensu accepta multas admittit differentias pro natura & quantitate rerum quæ excluduntur : Dicitur enim perfecta cum nulla secretio melior & tutior excogitari potest, ita ut æger continuo sanus fiat, quæ tamen rarissime contingit; eam vocamus imperfectam quæ totam materiam morbosam è corpore non eliminat, unde convalescentia in moras trahitur: tuta quoque nuncupatur, dum tuto, quamvis lentiori gradu perducit ad sanitatem, dubia vero & anceps quæ minatur recidivam; salsa denique, quam mors contra omnem spem sequitur.

## I I I.

Evacuationes autem criticæ sunt omnimodæ, inter eas enim numerantur salivatio, vomitus, diarrhæa, diuresis copiosa, sudores, hemorrhagiæ, hemorrhoides, abscessus, bubones, exanthemata, eresipelas, scabies, & omnes affectus cutanei.

## I V.

Crisibus, modo natura non cohibeatur, acuti morbi sæpe judicantur, rarissime cronici, nam humores in iis videntur nimis crassi & tenaces ut celeriter evacuentur, in aliis vero quorum causam esse bilem tenuem Hippocrates affirmat, è corpore facilius exigi possunt.

## V.

Cuique morbo sunt crises propriæ, alii enim per sudores, alii per urinas, alii vero per contrarias prorsus vias terminari gaudent, prout differunt natura.

1. In febribus continuis sudor est optima criseos via, quæ si recte succedat, non raro semel & una vice sine recidivæ metu, morbum perfecte solvit : Huic proximè succedit, quæ per hemorrhagiam crisis tentatur. Cujus exempla passim extant apud

auto-

autores, quin etiam mensium fluxum in mulieribus aliquando criticum Forestus observavit. *lib.* 1. *obs.* 20. sunt & alii quidem modi quibus natura materiam febrilem expellere nititur, modo per urinas, modo per vomitum, aut secessum, modo per pustulas in labiis & naribus erumpentes, per exanthemata, & bubones, sed paulatim & per partes, nec sine recidivæ periculo illud opus perficitur. Non inficias ibo fieri interdum ut febris per diarrhæam sibi viam faciat atque effugiat; verum illud rarius accidit, quam ut illius spe quicquam moliamur: idem etiam dicendum de febre continuâ indolis sibi propria quæ annis 1667.& 1668. sævit in Anglia. *Ptyalismus quandoque satis copiosus sub finem accedebat*, testimonio Clar. Sydemham *si nempe nulla insignior præcesserat evacuatio, atque ægro julapia refrigerantia imperata fuerant, quo quidam, si neque evacuationibus neque usu medicamentorum calidorum fuerit interceptus, morbus ultra spem omnem fugam sibi quærebat.*

2. Quoad febres intermittentes, tertianæ symptomata quædam supervenire solent, quæ pro morbi hujus crisibus bonis vulgo habentur, & revera aliquando istis apparentibus, affectus aut plane cessat, aut de solita atrocia remittere incipit. Sunt autem ejusmodi signa præcipuè hæc tria, scilicet labiorum ulcuscula, phlegmon, icterus: Riverius vero Practicus fælicissimus, alvi fluxum, materia jam concocta, supervenientem esse unicam viam, qua hujusmodi febres perfecte judicantur, asserit, *cum enim*, inquit *illarum focus in cystide fellea, vel hepate, vel mesenterio, aliisque partibus primæ regionis contineatur, etiamsi quæ singulis accessionibus effertur exhalatio, in habitum corporis irrepens vel sudoribus vel insensili transpiratu vel papulis expurgetur, manet tamen crassamentum, quod nisi beneficio naturæ vel medicamentorum per alvum expurgetur, aut febris diuturnæ aut obstructionum, aut recidivæ, aut aliorum morborum contumacium causa esse solet.*

3. Febris quartana est naturæ pertinacioris, & cum sanguis sit admodum crassus, vix crisibus ullis solvitur: aliquos tamen fluxu hemorrhoidum curatos, authores referunt, dum hemorrhagia è naribus pessima dicitur maxime si sanguis stillet & nigrior solito appareat.

4. In febribus pestilentibus nulla ferme certitudo in signis, copiosa

pioſa admodum urina, quam febris imminutio non ſequitur, alvi fluxus, vomitus, tumores &c. plerumque ſunt è numero ſymptomatum; ſoli ſudores, etiamſi rariſſime, ſunt critici.

5. Peſtis autem alium typum obſervat, quamvis à multis cum febribus peſtilentibus confundatur, nam dum neque ſponte ſua aberrat, neque vi aliqua tranſverſum agitur, per abſceſſum aliquem in emunctoriis erumpentem, unde materiæ exitus pateſcit, negotium ſuum exequitur. Verum, lubricam atque aleæ plenam in ſe eſſe hujus morbi per tumores indicationem ex eo manifeſtum eſt, quod interdum bubo, qui cum ſymptomatum remiſſione & optimo curationis ſigno primum protuberaverat, poſtea ex improviſo diſpareat, ejuſque loco maculæ purpureæ, certiſſimi mortis indices, ſuccedant. *Vide Thom. Sydenh. pag.* 101.

6. Inter febres peſtilentes variolæ poſſunt numerari, in quo affectu, nulla criſis melior contingit, quam legitima puſtularum eruptio; Evacuationes aliæ potius nocent, quam juvant, illud tamen maxime obſervandum eſt, diarrhæam infantibus prodeſſe in variolis confluentibus, dum adultos enecat, ideo quod in iis humores ſint multo acriores, quam in aliis.

7. Febres excipere debet lethargus, cum ſit morbus acutus febri conjunctus. Saliva eſt lethargi humoribus craſſis ac lentis maxime proxima; igitur, ſi lethargi materies cum ſanguine fluere incipiat, & ea glandulis ſalivalibus & naſi, ſecernatur, illa ſalivatio & mucus erunt procul dubio ſalutares; Parotides quoque boni ominis videntur, quocumque tempore ſuperveniant: quoniam vero illud facile contingit, ut Parotidum ille tumor non per ſputum abſumatur, ſed in pus abeat & ſuppuretur, fiet ille lethargicus ad Parotides empyicus. An autem Hippocrates hanc ſolutionem innuerit his verbis: Ὁκόσοι δὲ σώζονται τῶν ληθαργικῶν, ἔμπυοι ὡς ἐπιτοπολὺ γίνονται. *Qui ex lethargicis ſervantur, plerumque ſuppurati fiunt. coac. prænotiones. pag.* 532. Autores dubitant. Williſius autem, ut litem dirimeret, materiam morbi putrefactam non ſolùm per aures & nares, ſed etiam per ſputum & per pectoris affectionem evacuari teſtatur. *Sed quorſum hæc ſubterfugia*, inquit Vir Clar. *cum ſæpe contingat, materiem morbificam in capite defixam, primo veternum excitare, dein poſtea eandem materiam à ſanguine reſorptam, &*

*in*

*in pectore depositam*, *Empyema aut sputum instar tabidorum producere. In descriptione febris epidemicæ soporosæ, quæ regnavit anno* 1661. *hoc plurimis accidisse notavimus. Will. de lethargi cap.* 3. Excretiones autem tenues & copiosæ sive per urinam & alvum sive per sudores fiant multum nocent, cum illud omne quod liquidissimum est aut tenuissimum abripiatur, quicquid crassi & viscidi existit relinquatur.

8. Apoplecticis crises raro superveniunt: sudor & diarrhæa denotant virium imbecillitatem; hæmorrhagiæ sunt pessimæ. Multo magis sperandum est à vomitu, qui non nisi à spiritibus animalibus vim suam exercentibus oriri posset; eadem quoque ratione febris in apoplexia est interdum salutaris. *Hipp. Aphor. S.* VI. 51.

9. Peripneumoniam autem abscessus in parotidibus & ad crura solvent. *quibuscumque ex peripneumonia abscessus circa aurem aut ad infernas partes fiunt & suppurantur ac fistulantur, hi superstites evadunt. Hipp. in coacis prænot.* Quoniam humor lentus, qui inflammationem pulmonum efficit, à sanguine resorberi, & per alias partes egressum tentare videtur. Si autem copiosa hæmorrhagia narium succedat, minuetur copia sanguinis, qui cæteroquin pulmonem distendere magis debuisset, unde fibræ partis inflammatæ facilius contrahentur, & materiam inhærentem expriment.

10. Quid de Empyicis putem nescio, qui per urinas & alvum purgari dicuntur, nempe pus à venis resorbetur, ad cor defertur, ex corde per circulationem sanguinis ad renes pervenit; sed quoquomodo fiat hæc evacuatio, est admodum rara, nec salutem nisi viribus existentibus portendit.

11. *Angina correpto, si tumor oriatur in collo, bonum, foras enim morbus vertitur. aph. S.* 6. 37. ab *angina detento tumor & rubor in pectore superveniens bonum: foras enim morbus vergit. Aph.* 46. *S.* VII. nihilominus accidit nonnunquam, ut inflammatio tam ad interiora, quam ad exteriora extendatur, in quo casu Aphorismi veritas suspecta sit.

12. Convulsiones febre acuta, alvi fluxu, urinis vitreis, sputo solvuntur. *Convulsionem solvit febris acuta, quæ prius non aderat, aut si prius adfuit, ingravescens, confert autem & urina vitrea copiosius pertransitus & alvi fluxus & somnus: convulsiones autem derepente cras febris solvit & alvi fluxus. Hipp. coac. prænot. quibus cum dentes erum-*

*punt*

*punt, alvus crebrius demittit, minus convulsione tentantur quam quibus sic raro alvus subducitur. Hipp. de demtione*; ut autem cognoscamus cur & quando illa contingant, ad causas convulsionis respiciendum est. Convulsiones ab irritatione orientes optime curantur per alvi fluvum, quo bilis acris & mordax evacuetur; si autem materia quædam viscosa & crassa fibras musculi cujusdam ita infarciat, ut spiritus animales eas non sufficienter inflent, sed contractio musculi antagonistæ cui nihil æquipollet inde sequatur, tunc à sputo & urinis aliquid sperandum est: quin etiam febris acuta motu & violentia spirituum eas obstructiones poterit referere.

13. Simili prorsus ratione paralysis recens, & debilis, cujus causæ sunt humores pituitosi curatur quoque febribus, aut diarrhæa, quæ humiditatem nimiam absumunt, sed si resolutio membrorum ab alia causa oriatur, aut si partes tonum omnino amiserint, sanitas exinde non sequetur.

14. Idem judicandum de hydrope & leucophlegmatia, quibus alvi profluvium supervenit, aut copiosa diuresis: modo viscera sint bene constituta, vires subsistant, neque apepsia seu cruditate ventriculus laboret, de his crisibus bene sperandum est.

15. Vomitus curat sæpissime diarrhæam inveteratam, cum enim cibi putrefacti in primis viis hærentes possint eam efficere, si per vomitum ventriculus & duodenum emundentur non solum causa præsentis diarrhææ tollitur, sed etiam ne in posterum accidat restituta chilificatio impediet.

16. Vertigo quandoque hæmorrhagia narium sponte solvitur, cum ab arteriarum nimia distensione, aut nisu in nervos oculares, & in Retinam oriatur.

17. *Insanis si varices vel hæmorrhoides supervenerint morbi solutio fit aphor.* 21. *Sect.* 6. scilicet insanorum sanguis, lympha & spiritus abundant partibus solidis, quæ in melancholicis motu carent, in maniacis vero admodum agitantur; unde robur, audacia, virium constantia: talibus autem humoribus per varices & hæmorrhoides expulsis proculdubio insani multum emolumenti debent recipere, nam 1°. melancholicorum sanguis particulis fixis, & nimiæ molis expurgatus, facilius circuitum absolvit, & satis mobiles spiritus cerebro & nervis suppeditabit, 2°. maniaci ex suo furore remittent, cum nervi iis particulis solidis

ca-

careant, quæ impetu & violentia fibras musculorum distenderent.

18. Quamvis Hippocrates *aph. 25. S. 4. asserat sanguinem superne quidem efferri, qualiscumque sit malum,* possunt tamen dari fluxus ex iis partibus critici, adeoque vel plane naturales vel minus mali, quos hic Aphorismus non respicit; ideo idem autor in alio loco illud affirmat *mulieri menstruis deficientibus sanguis è naribus profluens bono est*: ita etiam insignes medici per sputum sanguineum, mulieres à suppressione mensium liberari narrant.

## V I.

Unde autem crises proveniant, nunc videamus. Equidem fateor iis inesse quicquam admirandum, cum vitam iis qui periclitari videbantur, imo quos medicus deseruerat, subito concil ent, in syderibus tamen vel in luna crisium principia & origines contra antiquorum doctrinam quærantur non necesse est, quin potius causas rationi & legibus naturæ consentaneas in ipso corpore humano inveniemus.

1. Prima desumitur ab humorum maturitate, eorum scilicet attenuatione & facili transitu per organa excretionis. Revera in initio morbi videntur admodum inepti ad hanc secretionem propter crassitiem sed illud omne quod est in motu variis mutationibus, diversisque figuris suscipiendis fit obnoxium, porro materia morbifica, dum sanguinis, lymphæ spirituumve circuitum comitatur, urgentibus circumquaque particulis continuo allidítur, ita ut molem, motum, figuram, immutet, facilioremque transitum quo aditus antea denegabatur, acquirat id autem eo facilius contingit, quod secretionis organa per morbum debilitata & relaxata irritatæ naturæ, quæ partes sibi contrarias foras expellere nititur resistere non possint, imo corpora insolentis figuræ admittere cogantur. Unde sequitur evacuatio modo per urinas, modo per sudores & alias vias secundum diversam humorum attenuationem.

2. Cum autem natura opus suum variis modis exequatur, Crises non semper propter hanc rationem sed causam prorsus contrariam contingunt, nimirum crassitiem materiæ

morbificæ; dum enim cum sanguine & genuinis corporis liquoribus non intime miscetur, & poros inequaliter replet, eam particulæ circumambientes ex loco protrudunt, donec ad fundum vasorum præcipitetur: hoc autem modo non solum morbi cutanei, scabies, inflammationes, quibus morbi solvuntur, videntur contingere, sed etiam hemorrhagiæ, nam si hæc præcipitatio humorum fiat in extremitate arteriarum & sequatur obstructio, sanguis super affluens semper urget, impetum facit, tandem, materia obstruenti simul abrepta, perrumpit, & extra vasa effunditur.

3. Item crisibus multum contribvunt externa ut causæ adjunctæ, aër, qui sanguini permiscetur, alimenta quibus vescimur, calor, frigus & alia quæ in corpus maxime influunt, quatenus spiritus animales afficiunt, sanguinis & humorum motum plus minusve promovent aut sistunt, vel manantibus per poros corpusculis claudunt iter aut aperiunt.

## V I I.

Jam vero cum criticæ evacuationes non tantum dependeant ab humorum natura quantum ab eorum figura, & organorum præsenti conformatione, non semper contingit, ut quod vel qualitate vel quantitate negotium facessit, duntaxat exterminetur, contra vero benignus atque salutaris humor sæpissime exigitur, vel pariter cum pernicioso promiscue nullo delectu, nullisque legibus prorumpit; hinc crises imperfectæ aliis sunt frequentiores: hinc etiam infidæ & fallaces sæpissime inveniuntur.

## V I I I.

Ne autem medicus decipiatur; ad ea quæ bonam crisim constituunt attendere debet.

1°. Evacuatio moderata requiritur: à parva quippe non multum sperandum est; vires autem à nimia debilitantur. *Vomitus paucus & laboriosus in acuta febre malus, sudores in diebus judi-*

*judicatoriis aborientes vehementes & veloces periculosi sunt. Aph. 8. IV. quæ larga violente multa ex naribus fluxerint, aliquando ad convulsiones adducunt. stillæ sanguinis paucæ per nares effluentes, malæ &c.*

2. Qualitas rerum, quæ evacuantur, est consideranda. Sudores frigidi, fætidi, & non universales per totum corpus, item qui instar granorum milii in cute apparent sunt mali. Vomitus, judicio Hippocratis, commodissimus est ille, qui ex pituita ac bile quam maxime permiscetur, nec nimius, neque crassus valde: Contra variegatus imo sincerus & impermixtus, niger, lividus, æruginosus, porraceus, fætidus ac graveolentis odoris condemnatur. *Alvi dejectio sit subfulra & non valde graveolens Hipp. de crisib.* contra excrementum valde aquosum, album, pallidum, viride, vehementer rufum, spumosum, viscosum, nigrum, pingue, ac solito fætidius, malum reputatur. Urina coloris subrufi aut subflavi, cum hypostasi alba, lævi & æquali, pus optime concortum referenti dicitur optima. Contra malæ sunt urinæ spumosæ, albæ, limpidæ sine sedimento, crassæ & confusæ permanentes, nigræ, fætidæ &c.

3. Ad locum evacuationis respiciat medicus. 1. An sit legitimus talique evacuationi debitus hinc sanguinem per vesicam effluentem malum esse jubicabit. 2. An sine magno periculo evacuationem efficere possit. Hinc abscessus interni, vel in pulmonibus discrimen portendunt. 3, An morbus soleat per hanc viam terminari, nam experientia in hac re plus docet quam aliud quicquam.

4. Medicus attente videat. 1. An vires ægro permaneant necne. Nam bonis crisibus augentur nedum labefactentur. *Sudores boni sunt qui morbum facilius ferre faciunt. Hipp. de crisibus In perturbationibus ventris & vomitibus sponte evenientibus evacuatio confert & eam ægri facile ferunt si quidem qualia oportet purgari, purgentur. aph. 2. S. 1.* 2°. An crisis symotomati aliquo periculoso adjungatur. Nam inquit *Hipp. crisium, quæ cito ad melius tendunt plerumque eadem signa sunt quæ etiam sanitatis. Hipp. de crisib.*

5. Signa concoctionis præcedere debent. Nempe facilitatis, quam humores habent sese separandi à sanguine, quæ præcipuè ex urina apparet ubi sedimentum est legitimo proximum.

6. Tempus respiciendum esse quidam existimant. An vero

ro ſint dies criſibus proprii nec ne magna eſt dubitatio. Hi erant, judicio veterum dies 3. 4. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. (vel ſecundum alios 21.) 27. 31. 34. Ita ut Hipp. ſi alio die febris deſiſſet recidivam timere ſit ſolitus. *Aph.* IV. 36. Summa criſeos bonæ potentia ſeptimo deinde quatuordecimo, deinde vigeſimo, vel vigeſimo primo dabatur. Eos proxime excipiebant, undecimus, decimus ſeptimus. In quibus certa futuri nota, ideo indices vocabantur. *Septimorum quartus eſt index, ſequentis ſeptimanæ octavus initium, notandus quoque eſt undecimus, ſi quidem is ſecundæ quartus eſt; rurſumque decimus ſeptimus obſervandus: is enim à quarto decimo quartus eſt, & ab undecimo ſeptimus. Aph.* 24, *S.* II. Imperfectioribus autem criſibus gaudebant tertius, quintus, nonus, decimus tertius, decimus nonus. Alii vero dies intermedii, quorum nulla fit mentio, ut ſextus, octavus, decimus, duodecimus, decimus ſextus, decimus octavus erant inefficaces aut ſaltem nulla evacuatio niſi peſſima, in iis contingere poterat, præcipue die ſextro quem antiqui atro carbone notabant. *Sudores ſexto die manantes peſſimi. Icterus ſexto die lethalis eſt.* Ut autem quicquid veri ſit in hac hypotheſi admittatur, quicquid falſi ſupponatur, rejiciamus, opere pretium eſt ut ad rationis & experientiæ normam omnia metiamur.

1. Criſis non poteſt contingere dum materia morbifica arcte mixta cum ſanguine permanet.

2. Antequam humores præcipitentur, attenuentur, vel aliomodo ad evacuationem diſponantur, aliquid temporis requiritur.

3. Hoc ſpatium temporis dependet ab ipſa natura humorum, alii enim citius, alii tardius maturantur.

4. Ut autem humores in unoquoque morbo non ſunt ſimiliter affecti, ita quoque tempus criſibus proprium erit diverſum pro ratione morbi: unde dies criſibus omnibus convenientes non aſſignari poſſe videmus.

5. Sed quando quidem ejuſdem morbi ratio mutatur pro ægri temperamento, pro aere, alimentis, medicamentis, quæ vel promovent, vel retardant humorum maturitatem; ideo morbus quidam peculiaris non habet ſuas criſes præciſo tempori alligatas, &

& si paulo citius vel tardius contingat crisis in hoc febricitanti, quam in illo, nullum inde periculum.

6. Quoniam autem morbi differentia, pro diversitate subjectorum, non est infinita, sed pleraque pars hominum multis inter se convenit, ita quoque tempus crisium habet limites: & experientia poterimus cognoscere intra unum, duo aut tres dies, quibus talis morbus soleat criticis evacuationibus judicari, modo ordinarium typum observet. Ita pustulæ in variolis modo die secunda modo tertia modo quarta modo quinta erumpunt, eandemque proportionem in earum maturitate videmus.

## IX.

Hæc autem signa bonæ criseos non debent separari, sed ut major fiat certitudo, simul omnia aut pleraque medicus in judicio suo consideret.

## X.

Sed non sufficit, ut præsentis criseos qualitas cognoscatur, videndum quomodo crisem futuram esse judicemus: sunt duo indicia. 1. Incepta humorum concoctio, aliquibus diebus ante crisim: unde forte antiqui quartum, undecimum, & decimum septimum notaverant. 2. Anxietas ægri eodem tempore, quo coctio jam inceperit. Hæc autem ægrotantis inquietudo ab eo procedit, quod materia morbifica cum sanguine non amplius circuletur, sed in membranas partis cui adhæret, fortius quam antea impingit.

## XI.

Signa loci per quem crisis futura sit, paucissimis absolvam.

1. tenuis sputatio, ventriculi dolor, horror inferiorum partium, capitis dolor, vomitum indicunt.

2. Alvi fluxum denotant intestinorum murmur, & mordicatio, flatus erumpentes &c.

3. Menſtruorum eruptionem præcedunt tenſio & dolor gravativus lumborum ardor, circa pudendum &c.

4. Hæmorrhoides pruritus ani, arteriarum ani inflatio & tumor dabunt.

5. Temperamentum bilioſum, ſanguineum, calor aëris, rubor in facie, oculis, naribus, ac malis, viſus hebes, pulſatio arteriarum, pruritus narium, pulſùs magnus indicant hæmorrhagiam.

6. Sudorem vero morbus acutus, calida aëris conſtitutio, humores, tenues, & calidi in corpore, urinæ diminutio, mador per corpus diffuſus.

7. Signa abſceſſus ſunt pulſatio in parte, tenſio, rubor, materia craſſa & viſcida &c.

## XII.

Quid autem in criſibus medico ſit agendum, jam videndum. Ante criſes medicus ita dirigat medicamenta, ut ſolitæ criſes non impediantur, ſed potius promoveantur naturam adjuvet, ac moderetur; ſi calor ſit nimius in ægro, aptis remediis diminuatur, cum tunc ſeparatio materiæ morbificæ non poſſit fieri; ſi vero calore debito, & viribus careat, protinus augeantur, ut humores facilius attenuentur, & ad maturitatem proveniant. In ipſa vero criſi medicamenta quæ adjuvent evacuationem, dari poſſunt, ut clyſteres in diarrhæis, diuretica in urinæ copia, vomitorium in vomitibus. Vomitorium ex aqua tepida, oxymelle ſcillitico, vel ex infuſione croci metallorum fiant, ſed vomitoria ex oleo conflata improbo, cum ſalia acria non diſſolvant. In hæmorrhagiis nihil movendum, nam, cum materiam morbificam in extremitate arteriarum præcipitatam ſuppoſuerim, eam Venæſectio non extrahet. Bubonibus emollientia, ut foras expellatur pus ibi concretum, applicentur, & alia omnibus nota.

# ANNEXA.

I.

*Dantur effervescentiæ frigidæ: sed absit disputatio de verbis.*

II.

*Corpora non semper fiunt leviora & volatiliora per cohobationem: interdum vero crassiora & fixiora.*

III.

*Alkali & pituita sunt causæ morborum frequentissimæ: acidum vero est causa rarissima.*

IV.

*Datur circulatio spirituum animalium ex sanguine in nervos, ex nervis vero in sanguinem.*

V. *Com-*

## V.

*Communicatio nervorum fit ſolùm in cerebro & in plexibus nervoſis.*

## V I.

*Febris nihil aliud eſt quam inordinatus ſpirituum motus vel propter ſanguinem acrem ut in continuis, vel propter obſtructiones viſcerum, ut in intermittentibus.*

## V I I.

*Semen virile agit in ſanguinem mulieris, ut fiat conceptio.*

F I N I S.

